Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Equitatui meo in curribus pharaonis assimilaui te. Si uis
intellegere o sponsa quomodo scire te debeas. cognosce
cui te comparauerim. et tunc uidebis tale te esse quae turbari
non debeas. cum tuam speciem cognoueris. Quid est igitur equitatui
meo in curribus pharaonis assimilaui te. Scio equitem spon
sum propheta dicente. et equitatio eius salus. Assimilata es quoque
equitatui meo. in curribus pharaonis. Quantum differt equitatus meus
qui sum dominus. et dimergo in fluctibus pharaonem. et cristatus
eius et ascensores. et equos eius et currus eius. quantum in quam differt
equitatus meus ab equis pharaonis. tanto melior es omnibus
filiabus tu sponsa. tu ecclesiastica anima omnibus ani
mabus que non sunt ecclesiasticae. Igitur si ecclesiastica ani
ma es. omnibus animabus es melior. si non es melior. non es ecclesi
astica. Equitatui meo in curribus pharaonis assimilaui te
proxima mea. Deinde pulchritudinem sponsae spiritali amo
re describit. Genae tuae ut turturis. facies illius laudatur.
et genarum rubore succenditur. Pulchritudo quippe mulie
rum. ingenis esse dicitur quam plurima. Itaque et nos pulchri
tudinem animae intellegamus ingenis. Labia uero eius et lingu
am. intellegentiam predicemus. Collum tuum monile. Ut or
namentum quod solet uirginum pendere collo et nuncupatur
ΟΡΟΙΕΣ ΗΟΣ ΣΟΣ. ita sine decore hoc tuum ipsum collum
est ornamentum. Post hec fit sponsus in recubitu; requie
uit quippe ut leo. ut catulus leonis obdormiuit.